ΔΙΑΔΗΜΑ τῷ ΜΙΤΡΑ.

Seu

DAPHNIDIS

ET

DRVYDVM

Reditus,

Eclogâ Bucolicâ

Celebratus.

Authore

Jacobo Kennedo *Iuniore*,

Scoto-Aberdonensi.

Nomen

Semper honorandum (sic Numina vultis) habebo.

ABERDONIÆ

Excudebat Ioannes Forbesius An. 1662.

213. m. 1

ΔΙΑΔΗΜΑ καὶ ΜΙΤΡΑ.

Seu

DAPHNIDIS
ET
DRVYDVM

Reditus,

Eclogâ Bucolicâ

Celebratus.

Authore
Jacobo Kennedo *Iuniore*,
Scoto-Aberdonensi.

Nomen
Semper honorandum (sic Numina vultis) habebo.

ABERDONIÆ
Excudebat Ioannes Forbesius An. 1662.

32 D. 27.

BRITISH MUSEUM
1880
MAY

Ad
Authorem

τετρασιχόν.

Palladis uberibus pastus *Kennéde* videris,
Sic fluit ingenii lactea vena tui.

Nec mirũ, tantũ metris quod ſubſit acumen;
SHARPIUS eſt animi duxq; comeſque tui.

Jo. Forbeſius,
In *Univerſitatis Aberdonenſis*
Collegio Regio
Humanioris literaturæ
Profeſſor.

AD REVERENDISSIMUM In Christo Patrem D. JACOBUM.

Divina miseratione, Regisque designatione, Archiepiscopum ANDREAPOLITANUM Dignissimum, et totius SCOTIÆ Primatem &c.

Epigramma.

Magna Caledoniæ mystarum gloria: sacrum
Insula cui crinem cingit & ambit honos.
Grampigenûm cui summa sacrûm moderamina rerũ
Commissa, æthereâ prosperitate vigent:
Hæc, modò ruricolas graviora negotia Musas
Admittant, facilis suscipe dona manu.
Nascentique fave, Præsul venerande, Camœnæ:
Prodiit auspiciis nostra Thalia tuis.

JACOBUS KENNEDUS.

Διαδήμα καὶ Μίτρα

Seu

Daphnidis & Druidum Reditus &c.

CORYDON. MOERIS.

LUmina vix medio diffuderat aurea Cœlo
Phœbus; Cum ſalices inter conſedit opacas
Mœris odoriferi vernante in gramine campi,
Tempora floridulis vinctus paſtoria ſertis.
Iam non in fragili pendebat fiſtula ramo
Mœſta: nec incomptis ſtridebat rauca querelis:
Aſt domini reſonare docet dum gaudia valles,
Cogit odoratas motare cacumina ſylvas.
Hunc at ſublustri ſimulac conſpexit in umbra
Lætantem paſtor Corydon (tunc integer ævi,

Atque Caledoniis tantùm novus hoſpes in oris)
Fit propior, dictiſque aures his mulcet amicis;
Cor. Quiſquis es umbroſæ ſalicis ſub tegmine glaucæ
Qui recubas, calamique rapis dulcedine ſylvas,
Fare age (ſecuræ carpent hic picta capellæ
Gramina) quid tanto teſtaris gaudia plauſu?
Moer. Quin priùs hic gelida, paſtor, requieſce ſub umbra;
Grata viatorem refrigerat umbra, fatigat
Quem labor; umbriferum delectat numina Faunos
Ruſtica ſæpe nemus Caprat, defeſſa ferarum
Cæde, ſoror Clarii frondoſâ frigus in umbra.
Cor. Tuque igitur, tremulæ quoniam ſucceſſimus umbræ,
Ordine cuncta refer; dicta aures corde reponent.
Moer. Ab Iove principium muſæ; qui cuncta potenti
Voce quatit. Quæ chara parens circundata ponto
Dat tellus, Quæque æquor habet ſub gurgite vaſto
Ille replet; Divûmque parens, ac Rector Olympi
Res hominum æternis ſolus moderatur habenis.
Iamque Caledoniis ab ovilibus, hoſtia ſacram
Quænam (grata) tibi, Divum Rex, imbuet aram?
Extſa cremanda focis ſunt ſacra minuta Tonanti,
Illius æthereos aris mactemus honores.
Te donavit io, paſtorum gloria Daphni,
Dextra Caledoniis reducem Iovis inclyta ſylvis.
Daphni decus patriæ, Divûm Daphni unica cura,
Te poſtquam externæ texere umbracula ſylvæ,
Cynthius, et Fauni, Panes, Satyrique ſalaces,
Deliaque, et Nymphæ Dryades, teneræque Napææ
Deſeruere agros. Druydum quoque (ſacra Tonantis

Queis curæ ſuprema) cohors his, exul, ab oris
Terga dedit. Sed te reducem Iovis (optime Daphni)
Dextra Caledoniis poſtquam dedit inclyta ſylvis;
Delius, et quæcunque colunt vaga Numina ſylvas,
Undique frondentem repetunt, pleno agmine, campum,
Atque Caledonias renovant pæana per oras.
Voſque (Panomphæi queis curæ ſacra Tonantis)
O Druides, magnûm proles veneranda Deorum,
Omnia vos hilari noſtris en Numina ſylvis
Excipiunt vultu; totus gratatur et orbis.
Qualis ineſt cœlo facies caligine tecto,
Impetus atrocis quum tempeſtatis habenis
Graſſatur laxis, volitatque per aëra nimbus:
Quum tremit omnis ager, tumet æquor, et omnia mortem
Immitem intentant pecori pecoriſque magiſtris!
Linquit at Eoas quamprimum lucidus undas
Phœbus, et exornat radiorum fulgure mundum,
Lumine terra micat rutilo: ſilet undique ſtratum
Æquor, et igniferi fugit inclementia Cœli:
Haud ſecus et rerum vultus abſentia vertit
Veſtra; Caledonios eheu ſine fine per agros
Dira tenebroſos latè regnabat Erinnys!
Et pecus errabat miſerum per lubrica campi
Gramina, nec fidus cogebat ad alvea Daphnis.
Aſt reduces rerum facies vos læta ſalutat:
Paſtorum chorus omnis ovans en, ruſtica ſertis
Tempora vinctus, io ingeminat, pæanaque cantat.
Gaudia nec noſtras implent tantummodo mentes;
Tondet in herboſo petulans en roſcida campo

Gram-

Gramina ovis: tremulis ludit, cum matre, ſub umbris
Agnus: inacceſſâ ſalit ecce in rupe capella.
Cum ſylvis lætantur agri: clementia cœli
En redit. et placidæ ſubſidunt æquoris undæ.
Cor. Magna refers, miranda canis, memoranda revolvis.
Gaudia tanta modis fundit quod fiſtula comptis
Haud equidem invideo; grator magis, alma Tonantis
Tanta Caledoniis peragit quod dextera ſylvis.
Iamque vale, et fauſtam dent hinc tibi fata ſenectam
Morr. Tuque vale, et teneros utinam tibi nullius agnos
Faſcinet hinc oculus; pecus at pingueſcat in arvis.
Ite meæ ſaturæ (felix pecus) ite capellæ.

FINIS.